Fratres. Convenientibus
vobis in unum iam non est
dominicam cenam manducare. Un-
usquisque enim suam cenam presumit
ad manducandum. Et alius quidem
esurit. alius autem ebrius est.
Numquid domos non habetis ad
manducandum et bibendum. aut
ecclesiam dei contempnitis. et con-
funditis eos qui non habent.
Quid dicam vobis? Laudo vos
in hoc non laudo. Ego enim ac-
cepi a domino quod et tradidi vobis
quoniam dominus Ihesus in qua nocte trade-
batur. accepit panem et gratias
agens fregit et dixit. Hoc est cor-
pus meum quod pro vobis tradetur.
hoc facite in meam commemoratio-
nem. Similiter et calicem postquam
cenavit dicens. Hic calix no-
vum testamentum est in meo sanguine

SLUB
Wir führen Wissen.
STADT BIBLIOTHEK CHEMNITZ

58.
58

# VERSVS EPITHA-LAMII,

IN

HONOREM NVPTIARVM, REVE-rendi, pietate, virtute ac eruditione conſpicui viri, Dom. *Iohannis* POMARII, *Eccleſiæ Haynenſis et Stibricenſis Paſtoris vigilantiſſimi, Sponſi, matrimonium contrahentis*

*Cum*

*Lectiſsima ac pudiciſsima virgine* ANNA, *Reuerendi ac Doctiſsimi viri Dn. Cyriaci Schmaltzen olim Pa-ſtoris Buchenſis fideliſsimi, (p.m.) relicta filia, Sponſa.*

*Scripti ab amicis.*

STADTBIBLIOTHEK ZU CHEMNITZ

263

IENÆ
*Impreßi in officina Donati Richtzenhan*
*Anno M. D. XCIX.*

SLUB
Wir führen Wissen.
STADT
BIBLIOTHEK
CHEMNITZ

# EPITHALAMIVM.

Χριστὲ γάμου καρπὸν νεονύμφοισ πλεῖστον ὄπαζε
οἷσι χαριζόμενος τοῦτο ἄεισα μέλος.
ἀρχηγὸς φοῖβος τελέθει, Μοῦσαί τ' ἀρεταί τε
ἕσπονται, εὐχαῖς σὺν ζαθέῃσι τέλος.

## PHOEBVS.

HVc agite ô Muſæ dulces, huc pergite ſuaves
Gratiæ, ab æthrio data munera numine mũdo.
Omnia quod nutu verboq́ꝫ potente gubernat,
Quodq́ꝫ bonum, ſapiens ſolum ſemperq́ꝫ beatum eſt.
Gratia cum ducibus blandis ades, atq́ꝫ miniſtræ
Principis æterni Muſæ huc properanter eatis,
Hoc veſtrum eſt munus Cytharis & laude diſerta
Numinis ad cœlum laudes efferre IEHOVAE,
Quosq́ꝫ DEVS curat dignari laude celebri.
En pietate potens POMARIVS ille verendus
Hærens amplexu veſtro iuvenilibus annis,
Sedulus in veſtris ſemper qui militat hortis,
Inſignis pietate POMARIVS arteq́ꝫ clarus
Suauiter amplexu veſtro qui adolevit ab annis,
Qui ducibus vobis artis venerabile nomen
Poſſedit, doctusq́ꝫ DEO ſeruire Triuno.
Hic mandata DEI obſeruans iam tendit ad aram
Adiungens lateri ſociali lege maritam
Moribus egregiam, forma, pietate nitentem
ANNAM, quam patris veneranda celebrat origo.
Inſonat ecce tubæ clangor, nunc inſonat æther
Lætaq́ꝫ turba vijs plenis ad limina Sponſi

Confluit,et Sponſis gratantia pectora iungit,
Atq; cupit præſens tædas ornare iugales.
Huc huc ergô chorus: paries nunc barbita mutus
Non teneat; manibus plectrum ſed ducite doctis,
Laudibus hic veſtris digniſſimus artis alumnus,
Laudibus hæc veſtris digniſſima pulcra puella.

## CHORVS MVSARVM.

Felicem iuvenem, qui Chriſti totus amore
Ardes, atq; eius ſequeris veſtigia ritè,
Qui capite ornato Muſarum numine noſtro,
Inſuper ætherij diſcis myſteria verbi.
Sic meritò illapſus menti quoq; Chriſtus Apollo,
Cui legimus retrò ſemper veſtigia fidæ,
Flamine cor ſancto donavit ab æthere ſummo,
Vt lingua doceas oracula diâ diſerta,
Admonitu reſeres cœleſtia limina ſancto,
Errantemq́; gregem, trito ne tramite flectat
Et mala teſqua petat, cœleſte ad ouile reducas,
Vrge igitur cœptum deinceps chariſsime amice
Donatoq; Deo fer plurima lucra talento,
Sic dabit ille ſuo cœleſtia gaudia ſervo.
Felicem, tali dabitur quæ nupta, puellam
Quæ tali ſociata optatos exiget annos,
Et te commendant pietas moresq; decori
Quæ primum percepta dies crevêre per omnes:
Sic te cura Patris primis formabat ab annis,
Moribus vt Pietas fulgentibus addita vitam
Exornet, caput & fragranti flore coronet.
Ergò tu nobis eſſes cum grata voluptas.

Sic

Sic tibi nos laudis gratiſsima dona feremus,
Læticiaq́ chorum fauſtum cumulabimus omni.

## CHORVS VIRTVTVM.

Dotibus ingenij multis ſpectate POMARI
Qui ſacra populo monſtras pia dogmata in æde,
Sic te virtutum rectè fulgentibus aſtris
Exornas, atq; his ducibus ſtipate beatum]
Eſſe putas melius, quàm cætera ludrica mundi,
Si diues nummis teneas fuluoq́ metallo.
Inſtruis hac mores ratione, vt pondere nomen
Exigit, hoc ſuaue eſt, non auguror omine vano.
Vnica nulla arbor Pomaria læta vocantur,
Sed multis locus arboribus fructuq́ feraci,
Hic à ſtipitibus ramus ſe plurimus effert
Atq; hortum totum fragranti complet odore,
Plurima ſic virtus te cingit chare Pomari,
Et rectè peragendo tueris plurima nomen.
Succreſcens ramus progerminat ubere fructu
A radice piâ, & partes ſe fundit in omneis.
Hæc thalami ſociam comprendunt ſenſibus ijsdem
Cum duo ſint unum ſociali fœdere iuncta,
Atq; viro ceu ſurculus altus inhæreat vxor,
Quæ radix igitur? PIETAS. Hæc ſplendida ductrix
Virtutum decus ante alias quæ ſola reportat.
Huc ades ô Neonymphe piâ digniſsime Sponſe,
Huc ades ô tali digniſsima Sponſa marito,
Ianua nunc templi vobis aperitur, ad aram
Stat ſacer æterna iuncturus Myſta catena.
Et nunc ad caſus operam, quæ præſtat amicam,

Quæ ſit vbiꝗ comes lateri eſt adiuncta mariti,
Ergò ducetis tranquillo pectore vitam,
Atꝗ eritis duo corporibus, ſed mentibus unum,
A radice ima dilectio plurima ſurgit
Sicut enim Chriſtus Sponſam complexus amore eſt,
Et nihil in toto ſibi charius orbe repertum:
Vnde & non rigidâ deſæuit lege, ſed æqua
Mente ſuæ ſponſæ donat delicta benignus:
Mutua ſic Sponſos dilectio copulet omnes.
Excepta pietate ſuam ſuper omnia Sponſam
Anteferet coniux, hunc dulcis Sponſa viciſsim
Diliget æquali ſtudio & dependet honorem.
Et ſi turbarint conuictum errata ſuauem
Illud amor tollat, dilectio contegat omne,
Nobilis & cuncta hæc virtus abſterget amara;
Vulneribusꝗ animi medicinam adhibebit amicam.
Splendida ſubſequitur Patientia, nobile donum;
Ecquod enim caſu præſtare leuamen acerbo
Poſſet, & vnde foret victoria ſancta maritis?
Hæc niſi tranquilla perferret mente procellam?
Deniꝗ virtutes claudunt Pietasꝗ Fidesꝗ,
His etenim ducibus primordia ritè geruntur,
Res media excellit, tandem feliciter exit,
Ergò cum tali cinctus ſis agmine Sponſe
Hæc cum Sponſa tuo capiti ornamenta paraſti;
Sat pia turba legit vobis veſtigia retrò,
Quando ſacras animis lætantibus itis ad ædes,
Hic chorus authori caſti gratiſsimus ignis.
Nec deerunt, qui præſentes hæc gaudia ſancta
Læticia, donis, precibus, pietate beabunt.
Sic & ego votis quæſitum carmen amico
Concludam, reliqui ſua vota precantia iungant.

VOTVM

# VOTVM AVCTORIS.

Vos igitur lecto iunctiſsima corda iugali,
(Hoc precor) ex omni fiatis parte beati,
Connubium rogo ſit præſenti Numine felix,
Coniugibus quod ſemper adeſt, ſanctisq; bonisq;
Atq; in dulce merum lympham conuertit amaram.
Splendida ſors veniat plenis aduecta quadrigis,
Dulcibus utq; ferax ſuccreſcit oliua racemis:
Obſita pignoribus ſic ſit fœcunda tenellis
Menſa, preces proles ibi longo ex ordine fundat;
Nulla lues odij thalamum perturbet amicum,
Denicq; longæuos vitam ducatis in annos,
Et ſuperam patriam teneatis pace beati.

τοῦ φιλοφρονήματος καὶ τῆς εὐφημίας
ἕνεκα accinebat

Abraham Stocman opt. art. &
Theologia SS.

Grae

GRatia lexq́ Dei, PAX & CONCORDIA dos eſt,

Dulce refrigerium, robur, honosq́ favor,
Nos vel fata ruuntq́ premunt, vel vt aſpera ſurgunt,
Non tamen, icta licet, mens animoſa cadit.
Ne cedat ſpes firma malis, ne nubila turbent,
Pendet id unius de bonitate Dei.
Ergo Deus pacis qui fœdere pectora iungis,
Da Sponſa & Sponſus tempora pacis agant,
Da ſine lite colant concordis fœdera lecti,
Hos fac tranquilla poſſe quiete frui,
Abſit amor falſus, cor falſum, falſa cupido,
Cor geminis ſit idem, cordis & vnus amor,
Aurea pax vigeat, contundite vaſa furoris,
Diſcors ira nocet peſtis iniqua thoro.
Qualis ad undantes arbor, quæ conſita rivos
Creſcit, & vmbroſis frondibus aucta viret,
Talis & hic Sponſus cum Sponſa coniuge caſta
Aſpiciet ſobolis gaudia mille ſuæ.
Plaudite felices, ſobolem generate tenellam,
Vivite ſat Pylij tempora longa ſenis,

*Iohannes Hirſchlaub Iun. LL. Studioſus.*

FINIS.

SLUB
Wir führen Wissen.
STADT
BIBLIOTHEK
CHEMNITZ

aut emissa voce magna ex
piravit. pr. ur. Et velum te
pli scissum est in duo a summo usque
deorsum. Videns autem centurio qui
ex adverso stabat quia sic clamans
expirasset ait. Vere hic homo
dei filius erat. Erant autem et mu
lieres de longe aspicientes inter
quas erat maria magdalene
et maria iacobi minoris et
ioseph mater et salome
Et cum esset in galilea sequebantur
eum et ministrabant ei et alie
multe que simul cum eo ascenderant
iherusolimam. ew. Et cum iam
sero esset factum quia erat parasceue
quod est ante sabbatum venit
ioseph ab arimathia nobilis
decurio qui et ipse erat expectans
regnum dei. Et audacter introi
vit ad pylatum et petiit corpus